

Hinc non mirum, si pro Patria tuenda legimus, & fuisse illos, qui rem familiarem vendere non hæsitant; ut Q. Fabius Maximus, qui euncta sua, ad Romæ præsidium, venum exposuit: Et illos quoque, qui se imperio abdicarunt, ne Patriam contententium armis exponerent: quod de Othone dicitur, qui Imperator esse desiit, ut cives a Vitellii furore vindicaret: Et illos demum, qui vitam, ad Patriæ excidium avertendum, libenti animo dederunt; ut Codrus Athenis, & Curtius Romæ, pro Patriæ salute, certissimæ se morti objectarunt.

Quid ergo mirum, quod nos, nil calamo pretiosius habentes, illum ipsum admovere libentissime nitimur, ut Patriam, Gentemque nostram, ab invidentium technis vindicemus? Patriam sane non erubescimus; immo tanti eam facimus, ut beneficii loco reputemus, eam a summo rerum Datore, præ cæteris aliis, accepisse. Proindeque tantum abest, ut nos pudeat conviciorum, quibus impostores audacissimi eam proscindunt, ut potius ex illis opportunitatem sumamus amorem nostrum erga Patriam probandi, quum alacri quidem promptoque animo, ad eosdem confutandos, ac falsitatis, si non æmulationis, ac mendacii, arguendos, calamum tractare aggrediamur.

Et eo magis ad perficiendum hoc nos ex-
pe-